

Nam «Ad divinam Providentiam pertinet ut rebus utatur secundum modum eorum... Forma autem, per quam agit voluntarie agens, non est determinata... Agens voluntarium assequitur divinam similitudinem in hoc quod agit voluntarie... Finis autem ultimus cujuslibet creaturae est, ut consequatur divinam similitudinem (1).»

179. **Dico V.** Cum usus liberi arbitrii, prout ducit ad beatitudinem, fiat cum gratiae auxiliis, praedestinatorum proportio perpendi debuit dependenter ab usu gratiarum.

Ideo sic explicat electionem S. Thomas (2): «Quamvis Deus, quantum in se est, aequaliter se habeat ad omnia, non tamen omnia eadem idoneitatem habent ad recipiendam largitionem bonitatis ejus; et hujus diversitatis cognitionem et ordinationem habet: et ideo convenit sibi electio.» Deinde ait (a. 3, ad 1): «Illi Deus proponit gratiam infundere, quem praescit se ad gratiam praeparaturum: non tamen propter praeparationem quae non est sufficiens causa gratiae, nec finis voluntatis ejus; sed propter bonitatem suam.» Et rursus (a. 4, ad. 2): «Nec praedestinatio frustrari potest: quia praescitum est a Deo quod iste *tali causa et tali ordine* salvabitur.» Proportio igitur praedestinatorum ab usu gratiarum necessario pendebat; scilicet, *tali causa, tali ordine, tali praeparatione, tali idoneitate*, sub conditione praevisionis.

His perpensis, conferas quae supra diximus (Scholia de Praedestinatione).

CAPUT IV.

De ipsa Dei virtute ad extra.

ARTICULUS I.

De Dei virtute in actu primo.

THESIS XXII.

Licet scientia Dei ut dirigens sit causa rerum, non tamen necessario illa quae dicitur visionis.

(1) *Contra Gent.* l. 3, c. 73. — (2) I *Dist.* 41, q. 1, a. 1.

180. **Nota I.** Proprie loquendo scientia visionis est illa, quae absolute videntur res existentes, quae sunt, fuerunt vel erunt. Improprie quaevis scientia, etiam simplicis intelligentiae vel media, dici potest visionis; ut notat D. Thomas (1).

Nota II. Aliquando scientia visionis unius rei est causa alterius; sic visio culpa est causa poenae, et visio meritorum Christi causa nostrae justificationis. Sic, pariter, visio rei, decreto intentivo definitae, potest esse causa ut decernatur executio per talia vel talia media; non tamen est necessarium, cum possit Deus eodem simplici velle, decernere talem finem per talia media. Quaestio igitur in eo versatur; utrum res quaevis a Deo efficiatur per scientiam visionis ejusdem rei? Id affirmant communiter thomistae; id autem negant universim DD. Soc. J., cum aliis pluribus, etiam ex illis.

181. **Nota III.** Hunc ordinem concipiunt thomistae: decretum intentivum (intentio finis), decretum electivum (electio mediorum); imperium intellectuale, seu iudicium practicum et efficax (scientia visionis, seu approbationis); tandem executio activa et passiva.

Dicimus istud imperium intellectuale, seu scientiam visionis non requiri ad causandum, praecipue circa actus liberos creaturarum.

182. I.^a Pars prob. 1.^o Proverb. III, 19: *Dominus sapientia fundavit terram.* Et in Ps. CIII, 24: *Omnia in sapientia fecisti.* Sap. VII, 21: *Sapientia omnium artifex.*

2.^o Conc. Vatic. (2) docet: «Liberrimo consilio de nihilo condidit creaturam.» Sed sine rei consultae scientia, liberum consilium dari nequit; ergo per scientiam Deus creat.

3.^o Tertullianus (3): «Totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit.»

4.^o Scientia Dei est causa rerum, si per illam tantum potuit Deus eas intendere et ordinare. Sed per scientiam simplicis intelligentiae et mediam tantum, repraesentantem possibilitatem, causalitatem et modum, quo causari creaturae valent, potuit Deus intendere et ordinare res omnes; ergo scientia Dei est causa rerum.

183. II.^a Pars prob. 1.^o Justinus (4): «Non praenotionem sequitur res futura, sed rem futuram praenotio.» Eusebius (5): «Non est praecognitio Dei causa futurorum.» Hieronymus (6):

(1) Q. 2, de Ver. a. 9, ad 3. — (2) C. *Dei Filius*, cap. 1. — (3) *Apologet.* c. 17. — (4) L. *gg. ad orthod.* resp. 58. — (5) L. 6 de *praep. evang.* — (6) In c. XVI, *Isai.* et c. XXVI.

«Non quod praescientia Dei causam vastitatis attulerit; sed quod »vastitas futura Dei majestati nota sit.» Et iterum: «Non ex eo, quod »Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum »est, Deus novit, quasi praescius futurorum.» Damascen. (1): «Et quidem Dei praescientia vera atque inviolabilis est; verum ipsa »haudquaquam causa est, cur omnino fiat id, quod futurum est; »quin potius, quia hoc vel illud facturi sumus, illud praenoscit.» Augustinus etiam (2): «Neque enim ideo peccat homo, quia »Deus peccaturum esse praescivit.» Anselmus (3): «Deus ideo »praescit futura, quia futura sunt, non ideo futura sunt, quia »praescit.» Ita communiter PP.

184. Prob. 2.^o ex D. Thoma. Si esset scientia visionis quae res causaret, scientia Dei foret causa immediata rerum. Atqui ait »D. Thomas; (4): «Scientia Dei, etsi sit causa rerum scitarum »per ipsam, est causa remota.» *Maj.* admittunt adversarii, et est evidens.

Confirm. 1.^o Scientia Dei ad omnes res creatas, est sicut *scientia artificis* (5). Sed scientia artificis respectu artificiati, non est scientia visionis: ergo neque Dei scientia.

Confirm. 2.^o Scientia visionis non est indifferens ut res visa futura sit, vel non. Sed scientia Dei, quae est causa rerum, est indifferens ut sint vel non sint: ergo scientia visionis non est causa rerum.

Maj. est evidens. *Min.* docetur etiam a D. Thoma (6): «Dei »scientia est causa rerum voluntate adjuncta: unde non oportet, »quod quaecumque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint.»

Confirm. 3.^o Ideo causaret Deus per scientiam visionis, quia ad illam spectaret imperium: sed non causat scientia Dei per modum imperii; ergo neque per scientiam visionis. *Maj.* concedunt. *Min.* est D. Thomae (7): «Scientia et voluntas sunt causa ejusdem »operis; sed scientia ut dirigens, voluntas ut imperans.»

185. Prob. 3.^o Causa antecedit effectum. Sed scientia visionis non antecedit, sed praesupponit rerum, quas videt, existentiam: ergo scientia visionis nequit esse causa rerum.

Min. ex Augustino constat: «Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda praecedant (8).»

Neque dicas: visio solum praesupponit rerum existentiam, quatenus illam videt in decreto Dei intentivo, ideoque non praesupponit id quod causat.

Contra: visio futuritionis rei in decreto intentivo non est visio

(1) Dial. contr. Manich. n. 79.—(2) L. 5, de Civit. Dei, c. 10.—(3) De Concord. praescient. cum libert.—(4) L. 1, contr. Gent. c. 67.—(5) 1, p. q. 14, a. 8.—(6) Ibid. a. 9, ad 3.^m—(7) Q. 19, de Verit. a. 4, ad 4.—(8) De Genes. ad litt. p. 4, c. 32.

futuritionis adaequatae. Ergo nequit esse scientia visionis causa adaequata rerum: alias causaret visio quod non videt.

Ant. prob. Visio futuritionis adaequatae debet videre rem futuram in omnibus suis causis determinantibus futuritionem, et in se ipsa. Sed videndo decretum intentivum, non videt Deus decretum executivum, nec imperium intellectuale, quae (ut ipsi supponunt) sunt causae determinantes; neque rem futuram in se ipsa videt: ergo visio futuritionis rei in decreto intentivo non est futuritionis adaequatae.

186. Prob. 4.^o Si scientia visionis est causa rerum, nullum Dei decretum executivum erit liberum. Prob. Si debet praecedere ad decretum executivum potentia discernendi necessario connexa cum eodem decreto, istud non erit liberum. Sed potentia discernendi est necessario connexa cum decreto executivo rei visae, si scientia visionis sit causa rerum: ergo hoc decretum non est liberum.

Min. patet: nam in hypothesi, nequit dari decretum executivum, nisi imperante scientia visionis, quae necessario cum re visa connectitur.

187. Prob. 5.^o Si per scientiam visionis liberos creaturarum Deus causaret actus, nulla esset ad agendum libertas. Ergo nequit agere per scientiam visionis.

Ant. prob. Nulla est libertas agendi, ubi potentia necessario est cum actu secundo connexa. Sed quaelibet creata potentia erit necessario connexa cum suis actibus, si Deus causat per scientiam visionis: ergo nulla manet libertas. *Min.* patet. Si Deus causat per scientiam visionis, quaelibet creata potentia comitari debet tali scientia, ut actum suum eliciat simul cum Deo. Sed potentia creata, cum scientia visionis conjuncta, est necessario connexa cum suis actibus: ergo quaelibet potentia creata erit necessario determinata. *Maj.* patet. Potentia enim creata exigit necessario causam primam ut agere possit. *Min.* etiam constat; cum visio sit necessario connexa rei visae.

Paucis: juxta tale systema, potentia creata, nisi adsit scientia visionis, agere non potest; si autem existat scientia, tunc creata potentia non potest non agere, quia ejus actus procedit a causa cum qua necessario connectitur.

188. Objic. 1.^o Augustinus saepe causalitatem docet scientiae visionis (1): «Universas creaturas non quia sunt, ideo novit; »sed ideo sunt, quia novit.

Resp. Dist. Haec, aliaque similia, dicunt SS. PP., quatenus scientia simplicis intelligentiae est causa per modum artis ad res crean-

(1) L. 15, de Trinit. c. 13.

das; conc. Quia scientia visionis, stricte dicta, sit causa rerum; nego. «Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet artifice recte dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quae noverat» (1). «Nos itaque ista quae fecisti videmus, quia sunt: tu autem quia vides ea, sunt. Et nos foris videmus... Tu autem ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda» (2). Unde sicut in artifice, causat scientia artis quatenus videt facienda, non vero quatenus facta videt, quod est scientiae visionis; id dicendum etiam de scientia Dei.

189. Objic. 2.^o Ait D. Thomas: «Esse Dei non subjacet voluntatis libertati, sicut scire operativum creaturae» (3). Illa ergo scientia Dei causat creaturas, quae subjicitur voluntati illius. Sed scientia simplicis intelligentiae non subjicitur; è contra, scientia visionis: ergo.

Resp. Dist. *min.* scientia simplicis intelligentiae, quatenus est operativa, non subjicitur voluntati; nego. Ut scientia simpliciter; conc. Nam non nisi imperante *voluntate* operatur scientia creaturam, ut ibidem dicit Ang. D. «Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinae scientiae. Est ergo iste processus in productione artificiatum. Primo, scientia artificis ostendit finem: secundo, voluntas ejus intendit finem illum: tertio, *voluntas* imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scientia se habet ut ostendens finem, et voluntas ut dirigens actum et informans opus operatum. Et ideo... patet etiam quod principalitas causalitatis consistit penes voluntatem, quae imperat actum... Et propter hoc etiam *Avic.* dicit, quod in quantum Deus cognoscit *essentiam suam*, et amat vel vult eam secundum quod est principium rerum, quarum vult esse principium, fluunt res ab eo.»

190. Inst. D. Thomas in Summa (4) ait: «Imperare est quidem essentialiter actus rationis.» «Ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperii, vel per modum petitionis.» Sed scientia imperans versatur necessario circa res existentes, ideoque est scientia visionis: ergo ex doctrina Summae Deus causat per visionis scientiam.

Resp. 1.^o Permitto *maj.* et nego *min.* ac *conseq.* Nam imperium non versatur circa res existentes, sed circa *usum*, seu actus illos quibus ad existendum educantur. «Ratio imperatei per quod agendum est quod eligitur; et tunc voluntas incipit *uti* exequendo imperium rationis» (5). Alienum ergo est a D. Thomae mente,

(1) *De Civit. Dei*, l. 11, c. 10. — (2) *Confes.* l. 13, c. 38. — (3) 1 *Dist.* 38, q. 1, a. 1. — (4) 1, 2, q. 17, a. 1, et 2, 2, q. 83, a. 1. — (5) 1, 2, q. 17, a. 3 et 4.

et plane falsum, quod scientia imperans versetur circa res existentes; versatur tantum circa potentias et actus quibus ad existentiam è possibilitate sunt res transferendae; nequit ergo esse scientia visionis.

191. Resp. 2.^o Dist. et explico *maj.* Imperare *exercite* dictum, scil., cum ordinatur aliquid *per aliud* faciendum, quod quidem fit *intimatione* aliqua (ut ibi explicat S. D.) est actus rationis: concedo *majorem*. De tali, nempe, imperio loquitur ibi D. Thomas. Imperare stricte dictum, scil., prout consistit in vi *ex se* movente ad aliquid *per aliud* faciendum, est actus rationis; nego.

Intimare, sane, est ordinare unum ad aliud, ideoque essentialiter ordinantem rationem significat: at vis hujus externae intimationis, ideoque et causalitas, est a voluntate: «Hoc ipsum quod ratio movet imperando est a voluntate» (ibid. q. 17). Incassum ergo contendunt thomistae causalitatem scientiae visionis deducere.

Si autem contendas, testimonia haec Summae illis adversari, quae ex l. 1. *Dist.* deprompsimus; scias, in aliis Summae ejusdem partibus S. Doctorem manifeste dictis in l. *Dist.* concinere: hoc nobis sufficit, quidquid censeas de loco objecto (1). Et quidem ait S. D. (2): «Voluntas movet per sui imperium omnes alias animae potentias.» Et iterum (3): «Oportet intellectum esse bene dispositum ad sequendum imperium voluntatis.»

192. Objic. 3.^o «Forma intellectus est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis» (4). Sed calor est principium immediatum; ergo et scientia, et quidem visionis, cum sola haec attingat immediate effectum.

Resp. Conc. *maj.* et *min.* et nego *conseq.* Nam ibid. docet Divus Thomas non stare paritatem in eo, quod etiam scientia immediate agat; potius oppositum dicit: «Cum sit eadem, ait, scientia oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum.»

193. Objic. 4.^o Nequit scientia causare quod non videt; ergo scientia, qua Deus causat, debet videre rei existentiam, ideoque est scientia visionis.

Resp. dist. *maj.* Quod non videt *causabile*, seu possibile; conc. Nequit, causare quod non videt causatum, seu existens; nego. Hoc enim in terminis pugnans existit.

Inst. Non causat scientia visionis rei existentiam, ut videns existentem, sed ut videt in decreto intento: ergo non est contradictio.

(1) Vide Bellarmin. *De Script. Eccles.* (a. 1200 ad 1300). — (2) 2, 2, q. 58, a. 8, ad 1. — (3) *Ibid.* q. 4, a. 2, ad 2.^m — (4) P. 1, q. 14, a. 8.

Resp. Haec est alia contradictio: vel enim existentia rei, quae videtur in decreto, est ipsa rei existentia, vel non; si primum dicas, ergo est idem videre rem existentem, et videre existentiam in decreto: si secundum asseras; ergo scientia visionis causat quod non videt, et contradicis priori difficultati.

194. Objic. 5.º Scientia Dei est mensura rerum quas cognoscit; è contra, scientia nostra a rebus mensuratur. Sed si videret Deus res *quia sunt*, non autem essent *quia videt* illas Deus, mensuraretur scientia visionis a rebus visis: ergo scientia visionis est rerum existentium causa.

Resp. Dist. *min.* Mensuraretur physice, vel quasi physice, a rebus visis; nego *min.* Mere intentionaliter et objective; concedo *min.* Et hoc concedunt SS. Patres laudati cum D. Thoma.

195. Objic. 6.º Deus non nisi per imperium producit rerum existentiam. Atqui posito imperio, jam scientia Dei est scientia visionis; ergo Deus causat per scientiam visionis.

Resp. dist. *maj.* Rerum necessariorum existentiam; conc. *maj.* Actuum liberorum; subd. per imperium remotum et intentivum; transeat; proximum et executivum; nego.

Et dist. *min.* Est scientia visionis, id est, a priori scientia directiva virtualiter distincta; conc. Eadem scientia directiva prior; nego. Scientia enim simplicis intelligentiae et media eodem semper se habet modo, ac illa est quae sola requiritur, ut Dei decreta sapienter dirigantur.

THESIS XXIII.

Virtus Dei productiva ad extra nec est formaliter divinus intellectus, nec divina voluntas, sed attributum aliud ratione distinctum, quod Potentia dicitur.

196. Nota. Sicut supra fuit statutum, nulla est realis in Deo distinctio inter perfectiones absolutas; agitur proinde in thesi de distinctione rationis ratiocinatae, de qua retro diximus (1).

Pars. I. prob. 1.º Si foret virtus productiva in divino intellectu reposita, ageret per actum practicum, qui imperium vocatur, seu scientia visionis. Atqui non causat scientia Dei per actum imperii neque scientiam visionis, ut nuper probatum est: ergo virtus productiva nequit esse divinus intellectus formaliter. *Maj.* patet: nam actus producendi debet ad extra ferri; quod solum potest per actum aliquem practicum concipi.

(1) Disq. IV, n. 142.

2.º Actus intellectus est natura sua prior actu voluntatis. Sed oportet virtutem productivam ad extra per actum liberum voluntatis determinari (1): ergo virtus productiva non potest in solo intellectu formaliter inveniri.

197. Pars. II. prob. 1.º Deus potens est ad creandum et ad omnia ad extra producendum, quatenus est infinitus secundum esse, et omnia formaliter et eminenter continens (2). Sed ejusmodi infinitudinem non habet ex conceptu voluntatis formaliter sumptae: ergo neque virtus Dei productiva ad extra potest ex sola voluntate concipi. *Min.* patet: sicut enim intelligendi vis restringitur ad determinatam objecti rationem, sic vis appetitiva.

2.º Ideo potest Deus aliquid velle fieri, quia intelligit esse possibile; ideo videt esse possibile, quia cognoscit se potentem illud facere: ergo voluntas Dei formaliter sumpta praesupponit, non vero constituit Dei potentiam. *Ant.* elucet ex natura et conceptu possibilitium supra (3) tradito: non enim potest concipi *possibile* nisi ex respectu ad *esse*; neque ullum *esse*, nisi quatenus est a se, vel ab alio fluens; quod absque Dei potentia concipi non potest.

198. Utraque pars ab Angelico D. confirmatur. Primo ait (4): «Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed secundum rationem; in quantum potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit.» Et inferius (5): «Potentia intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans, intellectus et sapientia ut dirigens.» Tandem (ibid.): «Ideo Deus aliquid facit quia vult, non tamen ideo potest quia vult, sed quia talis est in sua natura.» Unde intelligitur, distinctionem illam, quam *virtualem* diximus, inter haec attributa reperiri; et prius ratione intelligi in Deo omnipotentiam quam intellectum et voluntatem: quod dilucide, ut solet, evolvit Doctor Eximius (6): «Divina natura, ut sic, est sine dubio principium principale et radicale omnis actionis ad extra... Quod etiam concludit illa ratio, quia non est tale principium nisi quatenus eminenter continet omnia; hoc autem non habet praecise, ratione scientiae aut voluntatis, sed ratione totius infinitatis suae. Item, quia in tantum est fons totius esse, in quantum est ipsum esse per essentiam; quod esse, quatenus a nobis concipitur formaliter in ipso Deo, vocatur natura seu essentia ejus; ut vero per se ipsum est communicativum sui, dicitur principium seu ratio agendi ad extra... Quia vero hoc ipsum praestat perfectissimo

(1) Disq. IV, thes. XXXVIII, n. 233. — (2) Disq. IV, n. 47. — (3) Disq. IV, n. 163, 169. — (4) P. I, q. 25, a. 1, ad 4. — (5) a. 5, ad 1. — (6) *Metaphy.* D. 30, Sec. 17, n. 47, 48.

»modo, indiget intellectu et voluntate, illo ut dirigente, hac ut applicante. Quia vero ipsa scientia et voluntas non sunt in Deo aliud quam suum esse, ideo per illud habet Deus quidquid necessarium est ad agendum perfectissimo modo. Atque ita tandem divina scientia et voluntas sunt causa rerum; in re quidem per se ac propriissime efficiendo illas, quatenus in re sunt ipsum esse, et ipsa omnipotentia Dei; secundum vero proprias rationes, altera dirigendo, altera vero applicando potentiam exequentem, a qua secundum rationem distinguuntur.»

199. Obj. Voluntas Dei, ut perfecta sit, concipienda est ut efficacissima: atqui nisi per se operativa sit, non concipitur efficacissima; ergo dicenda est formaliter idem cum potentia.

Resp. Dist. *maj.* Concipienda ut efficacissima, *qua voluntas est*, seu ad volendum; conc. Concipienda ut efficacissima, *qua intellectus*, aut *qua potentia*; nego. Nam voluntas, *qua voluntas*, respicit tantum actus quosdam immanentes; et potentia, *qua talis*, actus transeuntes. Sic sanctus Thomas rem esse intelligendam ac distinguendam docet (1): «Si aliquae actiones Deo convenient, quae non in aliquod factum transeant, sed maneant in agente, respectu harum non dicitur in Deo potentia, nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem. Hujusmodi autem actiones sunt intelligere et velle. Potentia igitur Dei, proprie loquendo, non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus. Intellectus igitur et voluntas in Deo non sunt potentiae sed solum ut actiones.»

200. Inde facile inferes, quam sit ista thomistarum opinio a mente sancti Thomae aliena; contendunt enim confundere Dei potentiam cum ea facultate, quae, *secundum rei veritatem*, non est potentia.

Pariter concludes, non minus a sancto recedere Doctorem recentem quemdam theologum docentem, (ut thomistas cum Angelico quodammodo conciliet); actionem creativam esse *formaliter* immanentem, solumque *virtualiter* transeuntem. Inde namque concedere opus est, *potentiam* non esse *formaliter* in Deo, «secundum rei veritatem;» sed *virtualiter* tantum.

201. Nota. S. Scripturae, SS. Patrum, necnon aliquae Doctoris Angelici sententiae, quibus divinae voluntatis extollitur efficacia, sensu obvio et literali, facile de efficacia morali intelliguntur; uti cum dicit Sapiens (2): *Cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cum volueris, posse.* Hinc Vazquezius, qui in re praesenti nobis adversatur, plane fate-

(1) *Contr. Gent.* l. 2, c. 10. — (2) *Sap.* XII, 18.

tur: «Haec tamen et multa alia testimonia solum probant, omnium rerum productionem pendere ex nutu Dei: at non esse aliam potentiam exequentem, quae pendeat ex voluntate Dei, sicut in nobis, ex eis certe non colligitur. Nam et de quovis homine recte dicitur; ambulat quando vult, ubi vult, et eo quo vult; solum quod, nutu voluntatis suae, potentia movens secundum locum operatur (1).»

ARTICULUS II.

De virtute Dei in actu secundo.

Nota. Cum actiones, quibus Deus cum causis secundis concurrat, vel solus ad extra operatur, sint actiones transeuntes, inquiratur, utrum cooperando agat Deus in ipsas causas secundas, an vero directe in ipsos earum effectus. Quod ut declaremus, ecce quid censet (2) supra laudatus Auctor, scil. Cl. P. Mayr.

202. «Dico: Actio transiens non recipitur in agente. Ita Suarez (disp. 48, *Metaph.* Sec. 4), ubi fusius hanc sententiam probat: vocat eam, receptissimam inter recentiores, scil. sui temporis: et adhuc talis est inter recentiores modernos. Probr. conclusio ex auctoritate Aristotelis, (l. 2 *de Anima*). S. vero Thomas hunc locum exponens (in l. 3, *de Anim.* l. 2.) ita habet: Sicut enim actio et passio est in patiente, et non in agente, ut in subjecto, sed solum ut in principio a quo. Ubi particula *in* non significat aliud, quam quod actio sit in agente, ceu principio a quo, ut in subjecto denominationis extrinseco.... Quare, alia dubie ab Angelico, forte, alibi dicta, ita sunt explicanda, ut non praejudicent adductis ex eodem clarioribus textibus: vel dicendo, quod loquatur de actionibus immanentibus; ut l. 2. *contr. Gent.* c. 9, ubi S. Doctor probat, quod potentia Dei et ejus actio sint identificatae, eo quod actio Dei sit ejus substantia; quod non est verum, nisi de actionibus immanentibus: vel eum explicando de inexistencia tantum late sumpta... vel aliter eum exponendo. Vide Suarez (ibid.) qui ait: quare dubium non est, quin haec etiam fuerit D. Thomae sententia; numquam enim solet Aristotelem deserere in iis, quae pure philosophica sunt et fidei non contradicunt.

203. «Prob. conclusio secundo ratione. Non omnis actio transiens debet, vel etiam potest, recipi in agente: ergo non est de

(1) In q. 25, d. 102, n. 9. — (2) *Philosoph.* pars. II, Disp. 3, q. 2, a. 5.

»conceptu actionis transeuntis, ut recipiatur in agente: sed neque
 »potest afferri ratio specialis, cur una actio transiens prae altera de-
 »beat recipi in agente: ergo nulla debet recipi. *Ant.* probatur. Quan-
 »do Deus se solo aliquid producit, actio non recipitur, nec potest re-
 »cipi in agente, nempe Deo: ergo: nec dicas cum quibusdam, quod
 »in casu, quo Deus solus agit, recipiatur aliqua actio in Deo, nempe
 »ejus decretum. Omisso enim, quod decreta Dei sint actiones (nam
 »ostendit Suarez, disp. 48, *Metaph.* sec. 4, ea in rigore non
 »esse actiones), saltem non sunt actiones transeuntis, sed imma-
 »nentes; et multo minus sunt actiones modales productivae effec-
 »tuum creatorum, quae, si non omnes, saltem plures identificatae
 »sunt cum passione.

«Objic. Actio est perfectio agentis: ergo recipitur in agente...
 »Resp. Dist. *ant.* Actio immanens; conc. Transiens; nego *ant.* Et
 »sub eadem distinctione, concedo vel nego *consequentiam.*»

204. Haec prael. P. Mayr. His autem positis, intelliges, quam a veritate aberrant, qui existimant; Dei actionem concurrentis ipsam causam secundam immutare et eo modo cum illa cooperari. Si enim actio Dei in ipsam secundam terminaretur causam, aliquid in eadem efficeret. Quid autem? Non esse, neque virtutem; supponitur enim quod sit vera et in suo ordine sufficiens causa: non effectum; cum saepe non sit immanens sed extraneum: non ejusdem causae actionem; cum haec a Dei actione non distinguatur (n. 88).

205. Non aliter ac P. Mayr, plures thomistae intellexerunt tum Aristotelem, tum D. Thomam. Sic Capreolus (2, dist. 1, q. 2, a. 3); Ferrariensis in pluribus locis, sed vide Sum. *contra Gent.* l. 1, c. 100; et l. 2, c. 1, ubi ait: «Nullo autem modo actio, ut actio est, dicit perfectionem agentis per modum inhaerentis, quia significatur non ut aliquid in agente existens, sed ut ab ipso in aliud transiens.» Haec Ferrariensis. Eandem doctrinam tradunt Complutenses Carmelitani (in lib. *physicor.* dist. 17, q. 4), qui plures laudant vetustiores tum Aristotelis, tum D. Thomae interpretes idem sentientes. Quoad D. Thomam, praeter Sum. *contra Gent.* hic citatam, vide Summ. theol. p. 1, q. 18, a. 3 ad 1.^m Ut autem intelligas aliquas sententias D. Thomae, quae contrariae videntur, conferas Complutenses (ibid.), et Ferrariensem (ibid.), qui optime eas exponunt.

Quoad Ferrariensem autem nota: cum ipse putet *velle et agere* apud Deum idem omnino esse, cogitur exinde negare dari in Deo alias actiones praeter immanentes; quod aperte adversatur menti D. Thomae, ibi, *cont. Gent.* l. 2, c. 1. Tamen quoad naturam actionis transeuntis omnino adhaeret S. Doctori.

DISQUISITIO VII.

DE DEO INCARNATO

seu

Juxta Unionem Hypostaticam.

PROOEMIUM.

Antequam de Deo disquisitionibus finem imponamus, de Deo Incarnato disserere ordo postulat theologicus, seu scientiae divinae apta dispositio. Praeterea, cum de emanatione Dei ad extra, seu de Deo Creatore, generatim disquisitionem habuerimus, et ad opera ipsa particulatim perpendenda pervenire oporteat, primum sibi jure vindicat locum opus illud praeexcellens, quod est operarum Dei omnium fundamentum. Teste namque S. Cyrillo (1): «Facta est Sapientia (Verbum) fundamentum ut homo in omnibus, peccato solo excepto;» et pariter confirmante Athanasio (2): «Jure merito Verbum in nostram veniens carnem, in eaque principium viarum in opera sua creatum, hac ratione, ut erat in ipso Patre voluntas, fundatur ante aevum, ne vetustate conficeremur.» Sicut ergo *omnia in Ipso constant... ut sit in omnibus Ipse primum tenens* (3), disquisitio de Christo quamlibet divinorum operum disquisitionem praeveniat.

Ut autem quanti sit momenti, quam aggredimur, Disquisitio eluceat, nec non ex quibus fontibus de Verbo Incarnato Scientia haurienda, subjicimus pauca ex *Praefatione*, quae a Doctore Eximio, in Commentariis in 3.^m partem Summae D. Thomae, praemittitur.

«Licet in hoc divino mysterio, quae tractantur, omnia supra sensum nostrum, supra rationem, supra captum omnem sita sint, utpote divina: illud me tamen inter tot difficultatum scopulos consolatur ac recreat, in tam immensa tamque inaccessa superiorum caligine tantam splenduisse divini luminis claritatem, tam apertam fidei regulam nobis esse propositam, tam luculenter,

(1) *Thesaur.* L. 5, c. 8.—(2) *Or.* 2, *contra Arianos*, 26.—(3) *Col.* I, 17, 18.